



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio XXXI. Argumentum. Instruitur Confessarius, quid agere debeat cum Usurario pœnitente, ut eum possit ritè, ac rectè absolvere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

His addenda est Constitutio Sixti Papa Quinti, quæ incipit *Detestabilis* &c. Edita Romæ 12. Cal. 19 Novembr. 1586. & est in Bullar. Roman. tom. 2. la 45. quam refert Corrad. d. part. 1. resp. 254. Leonard. dict. quæst. 31. num. 10. & Cardin. de Lugo Disput. 29. num. 78. in fin. in qua Constitutione Summus Pontifex damnando hujusmodi societates, contractus, & pacta, ita decernit:

Hac nostra perpetuè valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, & conventiones posthac ineundas, per quas cavebitur personis pecunias, animalia, vel quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, & etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, & amissionem sequi contingat, fors ipsa, seu capitale semper saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur: sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, & conventiones, & pactiones Usurarias, & illicitas posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendi inter se pacisci; neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum conveniunt, socios, qui ea recipient ad sortem, seu capitale saluum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ Usurariam pravitatem sapient, districte interdiximus, & prohibemus; sed potius cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam consert, purè, sincere, & bona fides sicut decet, justis, & aequis conditionibus, secundum juris dispositionem, ac sine ulla Usuraria pravitatis labe, & suspitione ineundas esse: ita ut non ad certam summam, & quantitatem ab omni periculo immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur.

Qua Pontificia Sanctione attentata, cadit etiam fundamentum aliorum contractuum, qui supponuntur initii in societate, id est Assecurationis, & Venditionis lucri incerti per summam certam; tum quia per eundem Pontificem & ipsi censentur reprobati, dum in ea prohibet, ne periculum in accipientem rejiciatur, & ne de certa lucri quantitate conveniatur, & sic videtur prohibuisse involucria, & mixturas eorumdem contractuum; tanto magis, quia jubet, ut in posterum societates contraherentur non solum absque labe Usurariæ pravitatis, sed etiam sine sceleris suspitione; à qua non sunt omnino immunes dicti contractus, ut constat ex Reginald. d. lib. 25. capit. 29. num. 399. ex Parlador. Rev. quotid. lib. 2. cap. 2. num. 10. ex Rebell. d. lib. 15. quæst. 4. num. 1. & ex Philarc. de Offic. Sacerd. lib. 5. cap. 7. concl. 3. tum etiam, quia quando dicti contractus Assecurationis, & Venditionis possent in conscientia sustineri, pensio solvenda à Bubulco valde minor esse deberet; cum enim viri timorati, qui dant boves in Socidam, exigant quatuor staria frumenti tantummodo pro bove, & retineant in se periculum mortis ipsius bovis, ut supra dictum est, & notorium in hac Diocesi; ubi, è contra, rusticus suscipiat in se periculum, multo minorem summam dare debet; & idcirco pactum unius modii, id est steriorum 12. frumenti, absque periculo, & cum obligatione restituendi boves ad eandem æstimationem efficit absque dubio conventionem injustam, iniquam, & Usurariam, ut tener

quarta sententia supra firmata, & cum ea Curia Episcopalis consentit, & eam tuetur novissime Emin. Card. de Luca de Usuris disc. 2. supracitat.

D E C I S I O XXXI.

A R G U M E N T U M

Instruitur Confessarius, quid agere debeat cum Usurario penitente, ut eum possit ritè, ac rectè absolvere?

S U M M A R I U M.

1. Usurarius ut salvetur, restituat Usuras.
2. Absolvi quando possit Usurarius publicus?
3. Restitutio qualis, & quanta sit facienda ab Usurariis?
4. Cautio restituendi ab Usurario penitente præstanda.
5. Confessarius quomodo se gerat cum Usurario?

Mercator quidam confitetur, se plures Usuras commississe; se; quarum penitet, cupiens animam suam salvam facere. Petit remedium à Confessario. Quæritur, quale remedium dabit?

Plures plura dixere; sed omnium dicta in hoc unum remedium conveniunt, videlicet, quod mercator iste penitens, & dolens se plures commississe Usuras, ad salvandam animam suam, faciat restitutionem. cap. Quia in omnibus. De Usur. cap. Quamquam. eod. tit. in 6. Sylvest. Verb. Restitutio. 6. §. 1. Tolet. lib. 5. cap. 36.

Porro differentia est circa hujus remedii applicationem, ubi Usurarius sit manifestus; & ubi sit occultus. Quandoquidem, si manifestus sit Usurarius, Confessor non potest eum absolvere, nisi prius realiter, & plenariè usuras restituerit, & non solum Usuras, & res acquisitas ex sceleris, sed etiam fructus perceptos ex re Usuraria; & sceleratitia; imo si Usuræ exactæ constiterint in pecunia, vel bonis consumptibilibus, etsi non teneatur restituere lucrum, quod ex eorum negotiatione percepit, quia non est fructus rei, sed industriæ suæ; tamen debet Usurarius restituere etiam damnum emergens, aut lucrum cessans, quod passi sunt Mutuatarii, à quibus usuras exegit, ut docent omnes Doctores, inter quos Molin. d. tom. 2. disp. 332. Sæ Verb. Debitum. num. 12. Salas de Usur. dub. 39. num. 3. & Tambur. de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 9. §. 1.

Quod si statim Usurarius manifestus non potuerit realiter, & cum effectu usuras restituere, debet saltem cautionem idoneam præstare de restituendo, quæ sit vel Pignoratitia, vel Fidejussoria; & his deficientibus, saltem Juratoria d. cap. Quia in omnibus. De Usur. & cap. Quamquam. eod. tit. in 6. ubi Gloss. Covarruv. lib. 3. Var. cap. 3. num. 6. Ugolin. de Usur. cap. 24. §. 3. num. 2. Card. Tolet. d. lib. 5. cap. 36. Thesaur. de Penit. part. 2. Verb. Usurarium poena in princ. Quod si neque juratoriam præstare possit, eo quia jam moribundus sensus amisserit, sed edictis prius signis verè contritionis, tunc poterit absolvi; sed si recuperaverit sensus, cautio est exigenda. Card. Tolet. d. lib. 5. cap. 36. Navar. cap. 16. num. 279. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 187. & Card. de Lugo disp. 25. num. 246. qui omnes docent coram quibus dicta cautio est præstanda.

At si Usurarius fuerit occultus, si habuerit proposum restituendi usuras; & ita promiserit Con-

Confessario, statim absolvi poterit; nisi compererit, aliàs iterum proposuisse, & non restituisse, quia in hoc casu Confessarius se difficilem reddere debet, & cautionem petere; quamvis, si mors imminet, & moraliter certus sit, hæredes esse restitutos, poterit poenitentem absolvere, ut ait Sylvest. *Verb. Restitutio*. 6. §. 1. Card. Tolet. *d. lib. 5. cap. 36. in fin.* Tambur. *d. cap. 9. §. 1. & 2.* ubi etiam docet, quando heres, Filius, donatarius, vel legatarius Usurarii teneantur restituere.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Redduntur rationes octo, ob quas Parochi debent inhabitare domum Parochialem.

SUMMARIUM.

1. Officium Parochi in quibus consistat?
2. Benevolentia Parochianorum quomodo acquiratur?
3. Ecclesia Parochialis est Parochi sponsa.
4. Parochi à secularibus conversationibus debent abstinere.
5. Rei è domo Parochi extrahi non possunt.
6. Parochianorum frequens accessus ad Parochum.
7. Domus Parochialis quorum expensis sit reficienda?
8. Parochi tenentur de precepto inhabitare domum Parochialem.

Quibus rationibus debeat Parochus domum Parochialem inhabitare.

Dictum fuit ex sequentibus.

1. Primò. Ob Assistentiam. Cum enim Parochi officium sit reſidere, populum docere, eidem Sacramenta administrare, & præcipuè infirmos frequenter invifere, & pauperum curam habere. Poſſev. *de Offic. Curati* cap. 1. Filliuc. *tract. 28. cap. 5. quaest. 7. num. 100.* hæc omnia ut bene adimpleat, fas est, Parochialem domum habitare.
2. Secundò. Ob Benevolentiam; populus namque cum videat Parochum in propriis ædibus assidue commorantem, & plebis suæ spiritualibus necessitatibus consulentem; magna benevolentia, & obsequio illum prosequitur. Barbos. *de Offic. Paroch.* cap. 8. num. 34.
3. Tertio. Ob Convenientiam, siquidem ferè omnes Parochiales aedes existunt propè Ecclesiam, quæ cum sit sponsa Parochi, convenit, ut ei adhæreat, juxta illud *Matt. 19.* Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.
4. Quarto. Ob Decentiam. Quia Parochus debet non solum abstinere à secularibus conversationibus, negotiis, & mulieribus; sed etiam à suspicionibus. 1. *ad Thessal. cap. 4.* Sylvest. *Verb. Scandalum.* num. 2. Id autem decentissimè præstat, habitando domum Parochialem, & segregatam à parentibus vitam ducendo.
5. Quinto. Ob Excellentiam. Nam domus Parochialis est quid religiosum, spirituale, & Sacrum; idcirco gaudet immunitate Ecclesiastica; & ex ea extrahi non possunt Rei, qui ut salventur; confugiunt in illam; nam ut plurimum ipsa est intra præscriptum spatium. Decian. *in Tract. Crim. lib. 6. cap. 25. num. 16.* Ambrosin. *de Immun. cap. 10. numer. 8.* Bonacin. *tom. 2. circa Prima Decal. Præcept. disp. 3. quaest.*

7. punct. 4. numer. 7. Chartar. *Decis. Crimin.* 46. num. 20. Marc. Mantua, *Jurifcons. Patavin. consil. 211. lib. 1.* Nicolius *tom. 1. lib. 1. tit. 8. num. 20. pag. 28.* & Pignatell. *Consult. tom. 1. Consult. 465.*

Sexto. Ob Frequentiam. Cum enim ad Parochum plebs frequenter accedat diù, nocturne pro Sacramentis, attestationibus, & aliis necessitatibus, faciliorem habet accessum ad domum Parochialem.

Septimo. Ob Indigentiam. Quia si restaurari contingat ipsa domus, Parochus poterit à populo obtinere, ut indigentia suæ subveniatur, & expensis Parochianorum reedificetur. Fagnan *in cap. Extirpanda. §. Qui verò num. 20. de Præbend.* Paul. de Cittadin, *de Jurepatr. par. 6. art. 5. num. 7. pag. 72.*

Octavo. Ob Obedientiam; quia Parochi domum Parochialem inhabitare tenentur de præcepto tùm Decretorum Sac. Congregationis, de quibus Barbosa *in Decis. Apost. Verb. Parochus* quo ad residentiam num. 4. Garz. *part. 3. cap. 2. num. 179.* Zerola *in Praxi Episcop. Verb. Parochus.* Vers. Quarto tùm Synodaliū Constitutionum hujus Patavinæ Ecclesiæ *par. 2. cap. 11. Vers. A Parochiali &c. ibi Edes juxta eandem Ecclesiam, & gregem suum Parochi destinatas inhabitent.*

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Declarantur illæ duæ Theologorum exceptiones; quod pretium in mutuo non sit Usura ob lucrum cessans: vel ob damnum emergens.

SUMMARIUM.

1. Lucrum cessans quid sit?
2. Damnum emergens quale esse dicatur?
3. Condiciones ne sit Usura pretium ob lucrum cessans.
4. Lucri cessantis computum qualiter faciendum?
5. Valor lucri cessantis an statim à mutuante exigi possit?
6. Usura ob lucrum cessans non permittitur in foro fori.
7. Damni emergentis quot sint condiciones, ne sit Usura?

Nunc referenda veniunt tria sequentia

Quæ sita valde necessaria, ac utilia.

PRIMUM QUÆSITUM.

Quid sit lucrum cessans?

Ad hoc Quæsitum concorditer responsum fuit; esse illud lucrum, quod probabiliter acquireremus, si nostrum alteri non concederemus. E. G. Ego habeo paratam pecuniam ad merces emendas, & negotiandum, & ex negotio illo probabile est me lucraturum. Si tibi do mutuam dictam pecuniam, infurgit mihi lucrum cessans. Tamburin. *de Triplici Jur. libr. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3.* Card. Tolet. *lib. 5. cap. 32. & 33.* & Card. de Lugo. *de Just. & Jur. disp. 25. sect. 6.*

SECUNDUM QUÆSITUM.

Quid sit Damnum emergens?

Pariter dictum fuit, esse illud, quod patimur in nostris bonis, quæ possidemus, eò quod alteri illa damus. E. G. Ego paravi du-